


MENS HUMANA, IMMORTALIS.

CANENTE SEVERINO RZEWUSKI,
Præfecto Dolinensi,
Generali Majori
In Exercitu REGIS Poloniæ.

Annô Domini 1760.
Typis S. R. Majestatis, Monasterii Poczajoviensis
O. S. B. M.

AD COMITEM BRÚHLIUM
REGIS POLONIÆ,

Electoris Saxoniæ Primum Ministrum,

In Polonia,

Rei Tormentariæ,

Supremum Præfectum.

MAgnanimi Regis , prudens ac fide Minifter ,
Brúhlie ; Mecœnas Augufto care Polono ,
Ter denis annis , tanto fub Principe difcens ,
Artem difficilem , Populos Gentefque regendi ,
Dignaque tam magno callens præcepta Magiftro ,
Clare Comes Proavis , Heroum pulchra propago ,
Gentis Ociefciadum decus immortale ; vetuftam ,
Illuftremque Domum , propriîs fplendoribûs augens ,
Et dictis factifque probans , quod pectore claudas ,
Immortalem animum , Supremo Numine cretum .
Dic mihi ; cum dubii præfagâ mente futuri ,
Sæcula percurris , venturaque tempora luftras ,
Cum centum ambiguis res intricata fequelis ,
Indiget , ut multos longè fpectetur in annos ,
Judicio librata tuo ; faciatque beatos ,
Principis & Populi , poft plurima Luftra Nepotes ,
Dum multis conceffa Thronis , Connubia Prolis

 Auguftæ

Augustæ, vel quando sacræ tibi fœdera Pacis,
Eventus rerum longinquos, pendere suadent,
Dic precor; an menti tantis conatibus aptæ,
Atque animo, immensum qui cautè perspicit ævum,
Materies potuit Vitam ac Elementa dedisse,
Expers consilii, rudis ac improvida moles.
Dic mihi; cum pulchræ flagrans virtutis amore,
Pauperis oppressi, carisque Parentibus Orbi,
Pupilli, aut Viduæ causam decernere quæris,
Dumque vafris celebres linguis, astuque nocentes,
Causidici, recti specie, falsoque colore,
Jus sceleri obtendunt, sed frustra eludere curant,
Judicium sublime tuum; vel quando revolvens,
Cœptarum à Proavis longissima jurgia litum,
Eruis è tenebris, & claro lumine mentis,
Conspicuum, atque oculis facis adspectabile verum;
Dic rogo; dum tantos anfractus juris & æqui,
Scrutaris; quando tam magni, tamque sagacis
Judicii specimen monstras, quis diceret unquam,
Materiæ informem fœtum, prolemque caducam;
Esse tuam mentem, conflatam corporis instar,
Partibus exiguis, rerumque Elementa vocatis,

Qualibus

Qualibus, & durum sine sensu & pectore marmor,
Constat, & annosum robur, vel inhospita rupes,
Et Leo dente ferox, squammosaque tergora Ceti,
Ignivomusque Draco, & Jovis ales, fulmina gestans,
Ille ne, quem poteras Cœlestem dicere Civem,
Divinus Newton, scrutatus sydera mente,
Emensusque Polos, & summas ætheris oras,
Ille ne Vir, toto Newton doctissimus orbe,
Exiguis atomis, Elementis duxit iisdem,
Excelsum magnumque animum; queis segnis asellus,
Et mortem occumbens, docto plorante Britanno,
Ingenium mentemque leves efflavit in auras,
Rerum principiis mixtum, brutisque daturum,
Vitam, vel stupidæ mansurum in corpore talpæ,
Ergo ne possibile est; æternum carmine Flaccum,
Sublimique metro modulatum bella Maronem,
Prodigia ingenii; supremos laudis honores,
Humani generis, ferme bis mille per annos
Promerita, informi mentem duxisse sagacem,
Materiâ; tandemque brevis post stamina vitæ
Deperiisse, instar brutorum, & in àëra magnum,
Mandasse ingenium, quo ventus & æthera ferrent.
Proh

Proh dolor! hunc ortum, generisque exordia nostri,
Anne ferent animæ? nequaquam, sed prius ignem
Uret aqua, & madidis consurgent æquora flammis,
Caucasus immanis, levibus prius ocyor Euris
In sublime volans spectabitur, umbraque sole
Clarior, atque atomus stellato major Olympo,
Quàm sacer hic animus, Divino flamine cretus,
Mensque DEO similis, vivensque Tonantis imago,
Materiâ, aut fragili possit de corpore nasci,
Et queat immiti brutorum morte perire.
Magne DEUS; mentes hominum qui condere solus,
Ex nihilo calles, te supplex poplite flexo
Deprecor, ut radii Cœlestis luminae vatem,
Illustres, gratâque metrum dulcedine dones:
Tu mea mens, causas memora; cur corpore nullo,
Materiâque potes constare, & quomodo summo,
Creta DEO, mortem rides, fatoque repugnas.
Sed quid ago; mens nostra calet, divinitus igne
Accenso, ac solem linquens, transgressaque stellas;
Ingenio ad summi fertur sacraria Cœli,
Et magnum venerata DEUM, sic incipit: imis
Terris ad Cælos, puncto pervenimus uno

Temporis; hoc nunquam peraget, deformibus orta,
Materies peritura atomis, cui notio nulla
Numinis immensi, nec cultus, nullaque prorsus
Nota DEI ratio est; Elephas ne, an Struthio Numen
Cognovit, vel fronde Polis, altaria struxit.
Notio virtutis, mihi soli est munere Divûm,
Concessa, ast atomus conflataque corpore bruta,
Nullo magnanimæ virtutis honore tenentur.
Æterni ratio, nulla est animalibus; unus
Æternas res spectat homo, cui Numen amicum
Os sublime dedit, quem Cœlum cernere jussit,
Erectis oculis, versoque ad sydera vultu.
Gloria factorum, bruto est incognita; nunquam
Materies visa est, clarescere grandibus ausis,
Ob pulchras laudes, mansuræ in sæcula Famæ,
Quam nec cornigeri Cervi, nec dente feroces
Sectantur Tigrides, nec sævis ungvibus ursus.
Solus homo, summum Numen cognoscit, adorat,
Solus virtutem sectatur, tempora solus
Prospicit æterna, & solius gloria pignus
Est hominis; Cœlum brutis hæc dona negavit,
Queis patet, Exortus nostri, Generisque character,
Magna-

Magnaque Cœleſtis noſtræ ſignacula mentis.
Corpora nunc ſpectare libet, compage puſillæ
Efformata atomi, quæ mortem occumbere nôrunt,
Ut brutorum animæ, queis ipſa extenſio fatum,
Interitumque parat, nam quidquid ſectile rerum
Extat, id in partes valet, ac Elementa ſecari.
Sed mens noſtra, carens Elementis, atque figurâ,
Non valet in partes ullas, atomoſque reſolvi.
Aſt iterum, extenſæ partis ratione probabo,
Ex nihilo cretam, victuram in ſæcula mentem,
Non valet extenſô corpus; ratione carere,
Mens hominum; nec tolli ullis eſſentia rebus,
Extenſum eſt ſemper corpus, licet accidat illi,
Partibus imminui, vel mortis jura ſubire,
Extenſum æternâ ſerie remanere neceſſe eſt.
Ni DEUS annihilet corpus; niſi deſinat eſſe
Segnis materies, æternè extensa manebit,
Nam non extensum corpus, non concipis unquam.
Ast animis ratio eſt; velut eſt extensio rebus
Insita corporeis; æternè intelligit, alta
Mens hominum, & Terras linquens ac corpora, mortem
Spernit, & adversi ridet conamina fati.

Scilicet

Scilicet in mundo, rerum nihil interit unquam,
Corpora mutari, variasque acquirere formas,
Novimus; æternè tamen hæc extensa manere,
At ſacra mens hominis, nec corpore, parte nec ulla
Conſtans; mutari neſcit, nescitque perire,
Æternè vivens, æterno intelligit ævo.
Nunc memorare libet, mentis miracula noſtræ:
Prodigiique modum, quo magnas comperit artes:
Depinxiſſe ſonum, fugientis in àéra vocis,
Et formâ vacuam chartis concludere mentem,
Horrida tormentis jaculari fulmina; nullo
Corpore pollentes metiri horaſque dieſque,
Adque oculos Lunam & ſtellas adducere noſtros,
Vitri operâ fragilis, quod dextra humana polivit,
Ignem auferre Polo, Solem ſpoliare coruſcum,
Ereptis radiis, naves accendere juſſis, *
Umbram quæ nihil eſt; tam doctam reddere; parvo
Ut famulati ſtylo, fugientes denotet horas,
Remis, & velis, Æquor ventoſque domare,
Et magnas Urbes, & florida condere Regna,
Sceptra tenere manu, ac inſtructas legibus æquis,

 Felices

* *Archimedes Claſſem Marcelli ſpeculis urentibus combuſſit.*

Felices urbes, populos, gentesque videre.
Hæc scit homo; hæc peragit prudens industria mentis.
Sed bruta expendam, queis segnes condit inepta
Materies animas, fatis occumbere svetas,
Sex prope millenis annis, animalia bruta,
Quadrupedes, & aves, pisces, insectaque Terræ,
Hanc vastam molem, Telluris & Æquoris implent,
Attamen hoc immenso tempore, nulla dedêre
Ingenii documenta sui, contentaque victu,
Et potu, & somno, Venerique addicta protervæ,
Ultra nil nôrunt, imo nec nosse valebunt,
Materiæ prolem, quis non dignoscere posset.
Innumeræ luces decurrunt, lustraque mille,
Queis homo, quadrupedi sylvestri retia tendit,
Queisque lupis foveas, pisci queis objicit hamos,
Attamen has hominum fraudes, astusque dolosque
Hucusque ignorat brutum elusisse vel ales,
Necdum dedidicit, flammam vitare rogalem,
Papilio; quærens illustrem in lumine mortem,
Nec dessvevit equus, stabuli dum tecta cremantur
Irruere in medios ignes, flammisque perire,
His manifesta patet stupidi dementia bruti

Actibus

Actibus, atque rudi proles de ſemine nata,
Materiæ; occumbens illo, quo corpora fato.
Ut Cœlum à Terris diſtat, ſic neſcia fati
Mens hominum, à brutis differt mortalibus, illa
Reges quadrupedum ſcit captivare Leones,
Et celeres Aquilas, & Ponti grandia Cete,
Illa auras flammaſque domat, terræque marique
Imperat, & totum moderatur nutibus orbem.
Quis poſset tantas mortales dicere dotes?
Immortalem animam, præ cunctis carior unus
Aſſerit internus teſtis; mens conſcia veri.
Non Epicuræos, ſed fidum conſule pectus,
Et mentem auſculta, tacito ſermone loquentem:
Æternum mihi noſſe DEUM, conceſſa facultas,
Præſtat; ut æternè cognoſcam, æternaque vivam.
Nam non æternis, æterni notio nulla eſt.
Vivere me ſemper, Solymis DEUS ipſe locutus,
Aſſeruit; permulta Poli miràcla probârunt,
Et sex mille annis, concordes dicere Gentes,
Non ceſſant, hominiſque ſagax prudentia monſtrat.
Nunc mandante DEO, mortali carcere clauſa,
Senſibus obſcuris; rationis lumen obumbro,

Nonne

Nonne vides; quando Divina lege jubente,
Crafsis me velis, obtendunt organa ſenſus,
Infans garrit homo, ceu Pſittacus; ore diſerto
Vir loquitur, ſed docta ſenex oracula promit.
Nam craſſum infantis velum eſt, atque organa; adulti
Texturam gracilem ſortita; ætate ſenili
Flaccida ſunt; inſtarque levis ſubtilia chartæ.
Scilicet hæc ætas, & longior atterit uſus,
Donec perrupto velo, vinclisque ſolutis,
Æterno clarè mens cuncta intelligat ævo,
Hæc mea mens; tu care Comes Regique Poloque,
Pectore, mente, opibus, pietate, ac ſanguine clare,
Dic mihi; cum lætas Gentes dubitare ſubaudis,
An Pater, an Princeps, Titus an, Trajanus an alter,
Sit Rex, Sarmatico frontem diademate cinctus,
Cum Magni Auguſti, fato conſtantia major,
Suſtinet adverſos ictus; ſortemque ſiniſtram,
Dic mihi care Comes; tam magnæ tamque ſtupendæ
Virtutes animi, poſsunt ne occumbere mortem?
Nonne probant, noſtram victuram in ſæcula mentem.